



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
**COELIBA**  
**POENAE NOM.**  
**IMPOSITO,**

QVAM  
FAVENTE DIVINA GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISS  
SERENISSIMO PRINCIPE AC D  
**DN. FRIDERICO WILH**  
REGNI BORUSSIAE, ELECTORAT  
DENBURGICI ET PROVINCIARVM HE  
&c. &c.

IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDE  
PRAESIDE

**IAC. FRIDERICO LVD**

L. V. D. ET PROFESS. PVBL. E  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVB

**SIMON PETRVS GA**

COLBERGA POMERANVS.

*AD DIEM XXIIIX NOVEMBR MDCCLIII.*

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IOAN. CHRIST. GRVNERTI, ACAD. T

~~—————~~

3

DISSECTATIO JURIDICA  
DE

# COLLEGIUM POENAE NOMINE IMPOSITO



FAVENTE DIVINA GRATIA  
RECTORI MAGISTRO  
FRIDERICO  
REGNI BORUSSIAE, LEGATIONIS  
PRUSSIAE ET PROVINCIAE BRUNNOL  
IN UNIVERSITATE ACADEMICA  
PRaeside

AC FRIDERICO LUDOVICO  
LUD. ET PROF. PRAESIDE  
EXAMINATORUM EXAMINANDI  
SIMON PETRVS GASSER

COLLEGIUM  
POENAE NOMINE  
IMPOSITO



B. C. D.  
DISSERTATIO. IVRIDICA  
DE  
COELIBATV POENÆ NOMINE  
IMPOSITIO.

CONTENTA TOTIVS DISSERTATIONIS

**D**ifferentia contractus matrimonialis a contractibus reliquis in eo præcipue consistit, quod regulariter indissolubilis sit ille §. I. Idem iuxta mores nostros de solis sponsalibus affirmandum, non autem iuxta ius diuinum, quod ostenditur & ad dubia respondetur §. II. Sunt nihilominus tamen certi casus, quibus & matrimonium iuxta diuinum & sponsalia iuxta humanum ius iterum dissolui possunt §. III. Parti nocenti eo casu certæ pœnæ dictari solent, inter quas pœna cœlibatus etiam deprehenditur §. IV. Origo huius pœnæ ex iure canonico & textus eo pertinentes §. V. & VI. Obiectio: pœnam hanc in praxi adhuc receptam esse & sic de eius iustitia frustrâ disputari; quæ refellitur, §. VII. Formatur status controuersie, & hunc in adducto quodam casu non rite obseruasse Cyprium, ostenditur §. VIII. Pœna cœlibatus iniquitate laboras §. IX. Ratio huius assertionis ex principiis moralibus & materia de imputatione morali desumpta, §. X XI & XII. Illustratur illa ex iure Romano §. XIII. Respondetur ad ea, quæ ex hoc ipso iure Romano in contrarium moueri poterant §. XIV. Promissio uxoris defuncto marito facta, quod ad secundas nuptias transire

nolit, irrida est & inualida §. XV. Pœna cœlibatus ex eodem fundamento impugnari potest §. XVI. Quod præcipue exinde demonstratur, quia necessariam ut plurimum peccandi occasione condemnato supeditat §. XVII. Illustratur thesis adhuc ulterius ex iis, quæ a theologis alias contra vota monastica & in specie contra votum castitatis adferri solent §. XVIII. Transitus ad refutationem eorum, quæ pro defendenda iuris canonici dispositione communiter adferri solent. Verba Meui & Lutheri §. XX. Responsio §. XXI. Rationes Carpzouii cum responsionibus succinctorum §. XXII. XXIII. XXIV. XXV. & XXVI. Rationes canonistarum ex 1. Corinth. 7. v. 7. nec non Matth. 19. v. 9. §. XXVII. & XXVIII. De questione: *virum dispositio iuris canonici in præsentia obtineat?* §. XXIX. Formula pronunciandi ex Cypræo §. XXX. In iudiciis ecclesiasticis protestantium pœna cœlibatus cum certa limitatione saltem imponitur §. XXXI. Quam tamen limitationem totam regulam euertere ostenditur §. XXXII. Conceduntur in præsentia etiam nocenti nouæ nuptiæ, ita tamen ut illa regulariter ex prouincia excedat §. XXXIII & XXXIV. Remittitur relegati modo pars nocens certam mulctam persoluat §. XXXV. Præsertim si nonnullæ circumstantiæ condemnatum quodammodo excusant concurrant §. XXXVI. Conclusio totius dissertationis §. XXXVII.



Contractum matrimonii a reliquis contractibus, qui pro obiecto rem in commercio existentem habent, in plurimis recedere, nemo, ut persuasum est, inficias ire poterit. Vnum nobis pro ratione instituti tetigisse sufficiat, quod quamuis alias a conventionibus rite initis utriusque partium dissensu iterum recedere liceat, §. *fin.* I quib. mod. toll. oblig.

Deustamen ter O. M. eos, qui præcedente legitimo con-

fensu in vnitatem carnis semel transierunt, ab illa iterum recedere in S. scriptura expresse prohibuerit, *Matth. 19. v. 6. & 9.* Vnde imperator in §. 1. *I. de patr. potest.* nuptias recte describit, quod sint viri & mulieris coniunctio, *individuam vitæ consuetudinem continens.*

## §. II.

Quin sponsalibus de præsentis idem prædicatum *indissolubilitatis* (mutuo licet dissensu accedente) tribui possit; itidem extra dubium est, si ad leges humanas moresque nostros respicias. Ast vero de iure diuino contrarium verius esse videtur. Quamuis enim DD. communiter & inter eos in specie Carpzouius in *iurispr. eccles. lib. 2. def. 132. n. 8. def. 172. & passim alibi* prohibitionem mutui dissensus etiam hac parte ex dicto saluatoris: *Quos Deus coniunxit, homo ne separet,* deducere nitatur; contextus tamen *Matth 19. & verba in vers. 5. & 6. immediate antecedentia: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro;* quod ergo *Deus coniunxit &c.* aperte ostendunt, saluatorem non de matrimonio inchoato, id est, de sponsalibus, sed de plene consummato per copulam carnalem locutum esse. Ex quo in contrarium firmiter inferimus, quod sponsalia & matrimonia, quatenus leges diuinæ in specie de iis nihil peculiare disponunt, ex natura reliquarum conventionum, in quibus mutuus dissensus permittitur, diiudicari debeant, & quod exceptio quoad matrimonium consummatum dictam regulam de mutuo dissensu firmet in casibus non exceptis, id est, pro ratione præsentis controuersiæ in sponsalibus, pure etiam & de præsentis celebratis. Non obstat, quod tamen in sponsalibus (vtinam semper vere fieret!) nomen diuinum inuocetur; nam & talis inuocatio in contractibus fit. Licet vero deinde a contractibus recedatur, non tamen

propterea nomen diuinum ludibrio habetur, modo initio seria contrahendi intentio adfuerit, hæc enim si est, tunc demum in vanum sumitur nomen diuinum.

## §. III.

Interim, quamuis iuxta adducta nec ab ipso matrimonio propter diuinas, nec a sponsalibus propter humanas eges priuata autoritate & vtriusque contrahentium consensu resilire liceat; dantur tamen nihilominus casus quibus hoc ipsum autoritate magistratus accedente & in vita etiam altera parte permittitur. De numero illorum casuum & annon præter eos, qui hodie recepti, alii a huc a principibus euangelicis admitti possint, in præsentem non disputabimus, (videri potest de hac re loh. Strauchi *instit. iur. publ. lib. 1. tit. 35. §. 3.*) sed supponimus, quod diuortium proprie sic dictum in consistoriis nostris consistat in duas solummodo causas, adulterium scilicet & malitiosa desertionem: repudium autem toties demum permittatur quoties animi desponsatorum, vel vtriusque, vel alterutrius saltem, ita ab inuicem sunt alienati, vt nullis suasionibus aliisque prudentibus remediis conciliari iterum possint, Meuius *P. 6. dec. 225 226.*

## §. IV.

Ex hisce suppositis porro facile consequitur, omnem illum, qui facto suo illicito diuortio aut repudio causas præbet, poena condigna adficiendum esse. De poenis criminalibus corporis afflictiuis & pecuniariis, nunc quidem non erimus solliciti, cum limites instituti nostri illi transgrediantur, ex qua eadem ratione quoque de remediis, quæ priuatam partis læsæ satisfactionem respiciunt non disquiremus; illud vnicum ergo nobis in præsentem obiectum differendi erit, vt nempe de hypothese scriptorum iuris ecclesiastici dispiciamus, quando statuunt, *parti ne*

*centi, quæ vel sponsam, vel uxorem deserit, vel adulterium committit, supplicii loco & per modum grauioris pœnæ iniungendum esse, ut vitam cœlibem agat, & aliam sibi conditionem iterum non quærat, vid. Carpzou. d. l. 2. def. 136. num. 5. & def. 191. n. 1. seqq. it. lib. 3. def. 71. n. 9. 10. 11.*

§. V.

Origo huius pœnæ cœlibatus, ut multa alia in iura nostro eaclesiastico, ex iuris canonici placitis derivanda est. Textus huc præ aliis faciens est in *cap. 12. X. de præsumt.* ubi Papa Alexander III. *litteris*, inquit, *fraternitatis tuæ receptis nobis innotuit, quod cum P. ab A. muliere, quam in uxorem acceperat, peteret separari, accusatores matrimonii produxerunt testes firmiter asserentes, quod postquam mulier cum prædicto viro contraxerat matrimonium, consanguineum viri eiusdem solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem, ea (ut credebant) intentione, ut eam cognosceret carnaliter, viderunt, multis locis secretis & latebris ad hoc commodis & horis electis: Consul. tuæ taliter respondemus, quod ex huiusmodi violenta & certa suspitione fornicationis potest sententia diuortii promulgari: ita quidem, ut vir licentiam habeat, mortua illa ducendi aliam, muliere sine spe coniugii remanente.*

§. VI.

Huic textui ex decretalibus duo alii ex decreto defumti adhuc superaddi possunt. Primus est in *c. 23. caus. 37. qu. 7.* *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ? si fecisti, neutram habeas: & si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in domino, cui velit. Tu autem & adultera sine spe coniugii permaneatis & quamdiu vixeritis, iuxta præceptum sacerdotis pœnitentiam agite.* Alter habetur in *c. sequ. 24. d. caus. 37. qu. 7.* *Si quis cum nouerca sua dormierit, neuter ad coniugium potest perue-*



peruenire, sed vir eius potest, si vult, aliam accipere, si continere non potest. Similiter si quis cum filiastra sua, v. cum sorore uxoris suæ dormierit, obseruandum est.

## §. VII.

Habes textus ex iure canonico, quos in præsentibus nobis examinandos sumimus. Vbi quidem ab initio obici posset, dispositionem in illis textibus contentam iuxta testimonium plerorumque scriptorum apud euangelicos etiam in foro adhucdum obseruari, vnde opera huic nostro examini impensa frustrænea nonnullis videri poterat. Interim tamen cum nos pro ratione huius nostri instituti iudicis officio non fungamur, quippe ad quem solum pertinet vulgatum illud: non esse de legibus, sed secundum eas iudicandum, e contrario autem in cathedra de qualitate legum quoque disputare non fit prohibitum; hinc ratio nobis neino vertere poterit, quod cogitationes occurrentium adlatorum textuum nobis subnatas cum beneuolentia lectore pro libertate academica communicare non dubitauerimus. Quid? quod & infra simus demonstraturam dispositionem iuris canonici reuera nullum vsum in præsentibus habere, si res penitus inspiciatur.

## §. VIII.

Cum vero non solum adducti iuris canonici textus sed & DD. in vniuersum omnes semper ad casum reprobationis atque diuortii respiciant & præterea inter partem nocentem & innocentem distinguant, priori saltem poenam coelibatus iniungentes, hinc nescio, quid in mentem venerit Paulo Cypræo, vt in *tr. de connub. iur. cap. 19. §. 22.* huiusmodi casum tanquam dubium proponeret: *virum virgo composita & a viro, qui iuramento se purgavit, quod fidem non dedit, relicta, innupta sedere, an vero aliam conditionem querere debeat?* Aut enim masculus ille, de quo quæritur

revera fidem non dedit fœminæ, quod eam in matrimonium ducere velit, & sic non adest casus repudii; aut vero spem matrimonii fecit & sic peieravit, de quo casu solum loquitur Cypræus, & tunc recte dicit, quod periurus ille non aliter ac adulter, desertor, vel etiam mortuus censendus sit; cui mulier quoque amplius obstricta non est, ideoque, ut verba Cypræi mea faciam, sese ab eo recte segregare potest eumque Dei iudicio & vindictæ committere cum hac exprobratione:

*Si tu oblitus es, at Deus meminerit, meminerit fides,*

*Quæ te ut pœniteat postmodo facti faciet tui.*

Sed nihil dubii hic subest, cum fœmina hac ratione pro parte innocente haberi debeat.

### § IX.

Maneamus ergo in terminis sub initium §. præced. indigitatis, supponentes, cœlibatum pœnæ nomine illis saltem imponi, qui factis suis illicitis repudio vel diuortio causam præbent. Quæritur autem: an iuxta genuina iuris principia hoc fieri queat? Equidem Celeberrimus Ictus, David Mevius P. 6 dec. 359. n. 7 iam confessus est, valde duram esse hanc pœnam & talem, quæ graue iugum infert, unde porro subiungit: *cautum debere esse iudicem, ut non temere, nec promiscue pœnam addat interdicti, quia non tam facile illa aut seruatur, aut remittitur, quam irrogatur;* verum nobis adhuc ulterius procedendum & hoc asserendum esse videtur, quod nempe dispositio iuris canonici talem pœnam dictitans, aperta iniquitate laboret.

### § X.

Hanc nostram assertionem ut demonstremus, ad materiam de imputatione morali recurrendum est. Quotiescunque enim legislator aliquid alicui per modum pœnæ interdicit, toties actus interdictus ita comparatus sit

necessum est, vt delinquens facultate libera polleat, actum illum prohibitum vel expediendi, vel etiam omittendi. Quod si vero delinquens circa talem actum dicta libertate non gaudeat, tunc sua sponte etiam consequitur, legislatorem recte non facere, si illum per modum poenæ & coercionis interdicit. Duæ scilicet præcipue legum dicuntur esse virtutes, præcipere & vetare, (permissio iuris huic non pertinet;) quæ quamuis quoad affirmationem & negationem sibi e diametro opponantur, in eo tamen, non fallor, conueniunt, quod quemadmodum præcipi nequeunt, quæ extra nostram potestatem posita: ita quoque prohiberi nullo modo possint, quorum intuitu quo fiant, aut non fiant, facultas disponendi arbitrio nostro relicta non est.

## §. XI.

Propius ad rem veniamus. Est principium sanæ rationis ipsi etiam diuinæ reuelationi non repugnans, *imputari non posse homini actiones & effectus facultatum vegetabilium, quæ in ipsius corpore deprehenduntur, prout istæ per naturam, aut ex causis ab ipso non dependentibus existunt* de quo fusius agit Pufendorff. *de I. N. & G. l. 1. cap. 5. §. 7.* Hæc enim si imputarentur impossibile quid in classem imputationis referretur, quod tamen absurdum foret. Si cui natura corpus vegetum, robustum, procerum dedit ipsi eo nomine nihil imputari, aut quo minus tale habeat iniungi potest. Vnde si in aliqua lege, vt & conventionem aut testamento, tale quid occurrat, id pro non adiecto haberi debet, aut commodior, (si modo fieri potest,) eius inuenienda interpretatio, vid. Pufendorff. *cit. loc. §. 8.*

## §. XII.

Facultas autem & inclinatio ad generandum, nimirum omnia fallunt, ad actiones & effectus facultatum vegetabilium referenda erit. Vnde, quamuis legislator hanc facultatem

facultatem generandi ita circumscribere possit, ne vago modo & ad exemplum bestiarum in actum deducatur, quod ipse Deus, legislator sanctissimus, in verbo suo fecit; homo tamen leges condens tam absoluta potestate non pollet, ut dictam facultatem in totum & ex omni parte tollere plane & interdicere possit. A restrictione enim, quæ hic iuris ipsius diuini est, ad omnimodam prohibitionem, quam canones ab hominibus profecti intendunt, non valet consequentia.

## §. XIII.

Leges Romanæ, quas in Germania recepimus, nostram confirmant sententiam & ea, quæ paulo ante ex Pufendorffio adduximus. Ita enim Iulianus in *l. 22. ff. de cond. & demonstr.* Quoties, inquit, sub conditione mulieri legatur, si non nupserit, & eiusdem fideicommissum sit, ut Titio restituat, si nubat: commode statuitur, & si nupserit, legatum eam petere posse, & non esse cogendam, fideicommissum præstare. Ita Terentius Clemens in *l. 62. §. 2. d. t.* respondet: Cum vir uxori, si a liberis ne nupserit, in annos singulos aliquid legauit, quid iuris sit? Iulianus respondit, posse mulierem nubere & legatum capere. Adde *l. 63. §. 1. & l. 72. §. 5. d. t. Struu. S. I. C. ex 35. th. 97.*

## §. XIV.

Non obstat, quod tamen Imp. Iustinianus in *nov. 22. c. 43. & 44.* disposuerit, quod vidua contra legem viduitatis ipsi a marito in testamento datam ad secunda vota transiens, emolumentum sub hac lege ipsi relictum amittat; distinguendum enim est, an quis viduitatem simpliciter iniungat, an vero lucrum aliquod ob viduitatem non seruatum auferat. Posterius tolerari potest, quia ad impossibile non adstringit, secus in priori. Eadem ratione dispositio *l. 62. §. 2. in f. ff. de cond. & demonstr.* excusari

potest, vbi ita: *Quod si ita scriptum esset, si a liberis in puberibus ne nupserit, legem* [puto Iuliam & Pappiam, v. Gothofr. ad l. 64. d. t.] *locum non habere, quia magis cura liberorum, quam viduitas iniungitur; hic enim cœlibatus ad tempus saltem, quo liberi perbertatem adepti fuerint, idque iterum non simpliciter, sed solummodo sub comminatione amissionis lucri iniunctus erat, at canones simpliciter & in perpetuum cœlibatu pœnæ nomine dicitant.*

## §. XV.

*Hæc de materia testamentorum. Sed quid si vxor merito per modum pacti promississet, quod ad secunda vota transire nolit? placet responsionem verbis Carpzouii, contra quem deinde disputabimus, exprimere, qui iurisprud. eccl. l. 2. def. 172. ita de hac re loquitur: Tanta quorundam est insania, ut quam potestatem habent de bonis & facultatibus suis licite disponendi, coniugique ac liberis imperandi, ea post obitum etiam illicite exercere præsumant parum curante, quid pium sit & honestum, quidque voluntati diuinæ ac summæ rerum & naturæ moderatori placeat & conueniat. Ex quorum sunt catalogo, qui coniugibus nuptiis secundis interdiciunt aut blanditiis ac persuasionibus promissionem de vitandis nuptiis secundis extorquere laborant. Et deinde per inter. def. tale pactum contra bonos mores & honestatem, nec non contra legem diuinam [quæ nullam legem cœlibatus dedit, ib. n. 13] impingere, imo cum periculo animæ & corporis coniunctum esse tuse ostendit.*

## §. XVI.

At, inquis, maxima est differentia inter hosce casus, quando nempe cœlibatus *in testamento vel per pactum a proutatis*, & quando e contrario *per modum pœnæ a cononibus imponitur*, in priori scilicet casu, nullum delictum adde-

tanquam causa impositionis, bene tamen in posteriori, & sic ab illo ad hunc valide inferri nequit. Concedo illam differentiam quam lubendissime. Sed conueniunt tamen etiam duo illi casus in eo, quod caput rei est & ad scopum nostrum principaliter spectat. Quemadmodum enim testamentum & pactum mihi cum effectu aliquid imponere non potest, quod arbitrio meo subiectum non est: ita quoque prohibitio legis, quæ mihi tale quid aufert per modum pœnæ, quod tamen, vt omittatur, in mea potestate non deprehenditur, aperta iniquitate laborare videtur. Talis autem est prohibitio iuris canonici.

## §. XVII.

Accedit, quod dicta prohibitio necessariam vt plurimum peccandi occasionem suppeditet condemnato. Quamuis enim dentur homines, qui propter temperamenti qualitatem ad actus venereos minus inclinant, rariores tamen hi, ni fallor, erunt & plurimi vstionibus frequentioribus exagitantur. Quomodo autem extinguere poterit eiusmodi vstiones ille, cui coelibatus per modum pœnæ iniunctus? an per legitimum matrimonium? sed hoc ipsi est interdictum. Sine dubio ergo de mediis illicitis clanculum sollicitus erit, v. omnino Carpzou. *l. prox. cit. n. 15. & 17.* vbi sententiam consistorii supremi Dreidensis subiicit, verb. *Die weil aber diese ihren Manne beschehene Zusage eine Witbe zu bleiben, nicht allein unbedachtsam, weil auffer der Ehe mit unverletztem Gewissen zu leben in ihrer Macht nicht stehet, als welches vor eine sonderbare Gabe Gottes zu halten &c.* Non video itaque, quæ ratione illa matrimonii prohibitio ad species medicinae moralis (ita enim salutantur pœna) referri possit. Scio quidem, quod nonnullorum Moralistarum est effatum, in omnibus pœnis emendationem delinquentis non intendi,

aut obtineri posse; sed ad minimum tamen, puto, poena ita comparata esse debet, ne ad noua delicta viam pandat, & sic delinquentem adhuc magis in sensu morali necessariè corrumpat.

### §. XVIII.

Disputant alias, vti notum est, theologi protestantes, quam acerrime contra vota monastica pontificiis vsitata, in specie contra votum *castitatis*. *Talia vota*, inquit *Frider. Balduinus de cas. consc. lib. 2. c. 8. cas. 7. facienda non sunt, quæ ordinem Dei conuellunt, vel corpus aut animam laedunt, vel occasionem peccandi præbent*, v. *Chemnit. in exar. concil. Trident. tit. de cœlibatu sacerdot. cap. 9.* *Gerhard. loc. de coniug. c. 10. sect. 1.* alique plures apud *Brunnen iur. eccles. l. 2. c. 7. ibique in addit. illustr. Strykii*. Non dubito autem, quin ea omnia maiori adhuc iure prohibitioni canonum de non ineundis nuptiis per modum poenæ factæ opponi possint. Recte fecisset Papa, si scortationes aliosque foedos concubitus interdixisset ei, qui causa diuortio præbuit, sed non recte fecit, quando ipsum matrimonium interdixit. Apostolus pronunciat *1 Corinth. 7. v. melius esse nubere, quam vri: canones contra: melius esse vri, quam nubere*, asserunt, vt saltem poenæ ab iis excogitatae satisfiat.

### §. XIX.

Demonstrauimus hætenus, vt speramus, ex genuinis fundamentis, quod prohibitio matrimonii per modum poenæ facta iniquitate laboret. De rationibus ergo, quæ pro defensione illius prætensæ poenæ adduci possint, iam sollicitos esse nos oportebit, & quidem illas potissimum examinabimus, quæ a nonnullis scriptoribus protestantibus hæc parte adducuntur, quod enim pontificios attinet, mirandum adeo non est, eos illiusmodi coelibatum a delinque-

tibus exegisse; quia illi in reliquis etiam satisfactionibus imo in ipso cultu diuino animum sæpe non respiciunt, sed in opere operato externo nude & vnice acquiescunt.

## §. XX.

Meuius, Ictus celebratissimus, quamuis pœnam cœlibatus admodum odiosis exornauerit encomiis, prout supra §. IX. eius verba retulimus, nihilominus *d. P. 6. dec. 359. num. 1.* hisce formalibus vtitur: *In iudiciis ecclesiasticis moris esse, cum dissoluuntur sponsalia, interdicti in posterum nuptias. Addit in notis: sequi ecclesias euangelicæ religioni addictas in eo sententiam Lutheri, qui ad coercendam repudiorum temeritatem hoc interdictum (nuptiarum scilicet) pium, utile, & necessarium statuit, uti ex eius scriptis refert Cypræus de sponsal. cap. 12. §. 6. num. 3.* Ad Cypræum quoque prouocat Ccrpzou. *iurispr. eccles. l. 2. def. 136. num. 6.* ipse autem Cypræos hæc verba Lutheri (absque allegatione tamen loci scriptorum Lutheri) refert: *Welche nach öffentlichem Verlöbniß zu seinem Gemahl nicht will, soll ohne Ehe bleiben. Item: Wenn zwey mit einander verlobt seyn, und es bey derselben Verlöbniß bleibt, daß keins das ander sein Lebelang kan verlassen.* Priora tamen verba huc proprie saltem pertinere videntur.

## § XXI.

Rationem hic nondum videre possumus ergo etiam responsione opus non est, præsertim cum Meuius *d. l. n. 4. & 5.* iterum fateatur, eoque ipso non obscure confirmet, quæ hætenus adduximus, *iugum, quod quis ferre aptus non est, non esse imponendum, nec occasionem grauioribus malis dandam.* Item: *In hac specie præprimis, ubi conscientie imminet laquei, abstinendum ab onere insupportabili infligendo.* Vnde adhuc remanet quæstio præiudicialis: an hoc *pium, utile & necessarium* sit, ut præcile cœlibatus per modum pœnæ



pœnæ iniungatur illi, qui repudio vel diuortio causam iniuste dedit.

§. XXII.

Prodeant ergo ipsæ rationes, quibus dispositiones iuris canonici defendere nituntur DD. Cypræus *loc. anc.* hunc profert: *Altera, inquit, pœna hæc erit, ut aliam conditionem querere prohibeatur, qui sponsam vel coniugem volens deseruit: ideoque illa viua alteri coniungi nequeat. Nam cum semel fide data sponsus factus sit, alterius sponsus esse non potest. Ideoque & vitam cœlibem agere cogetur, quod & ipsum satis supplicii est.* Mediustermis, ut vides, Cypræi hic est: *Qui semel fide data sponsus factus est, is alterius sponsus esse non potest. Quid si ego subsumerem, atqui Caius semel fide data sponsus primæ vxoris quodam factus est, ergo post mortem illius alterius fœminæ sponsus esse non potest? Si dicis: hoc post mortem fieri quidem posse, sed non viuentem prima vxore; tunc ego concedo, idem etiam post diuortium fieri posse, quod vinculum coniugale non minus ac ipsa mors dirimit. Ceterum concedimus Cypræo, satis esse supplicii, si quis vitam cœlibem agere cogitur; sed vtrum hoc supplicium regulis iuris conueniat, de eo adhuc sub iudice lis est.*

§. XXIII.

Hæc vnico eique tam lubrico fundamento thesaurum suam superstruxit Cypræus. Veniat nunc illi in auxilium Carpzouius, tribus argumentis instructus. Ita autem incipit in *iur. eccles. lib. 3. def. 71. n. 6.* *Non immerito indignus dicatur nouo coniugio, qui diuinam ordinationem semel tamen nefarie violauit, malitiose coniugem priorem deserendo. liter enim si diceremus verendum, ne criminibus per indulgentiam nouarum nuptiarum incentiuum præbeatur. Et absurdum foret, partem nocentem commodum sentire ex suo delicto.*

§. XXI

## §. XXIV.

Procœmium huius argumenti eiusdem tenoris esse videtur, ac si quis diceret: *Eum, qui semel contractum aliquem violauit, in posterum plane non esse admittendum, ut alium contractum celebret, quia non immerito indignus iudicatur nouo contractu, qui diuinum iussum de seruandis contractibus semel tam nefarie violauit, malitiose a priori contractus recedendo.* Quis vero non rideret hanc lepidam illationem? Nemo etiam sanæ mentis homo vereri potest, ne criminibus per indulgentiam nouarum nuptiarum incentiuum præbeatur; sed hoc potius & iuste quidem verendum est, ne criminibus per prohibitionem aliarum nuptiarum incentiuum præbeatur, prout antea deduximus. Puniatur delinquens pœna pecuniaria, carcere, aut alio modo, & nullam incentiuum criminum iuste verendum erit. Quod si vero delinquens spreta hac pœna præter culpam iudicis peccare pergat, iterum etiam pœna condigna adficiatur & iudex officio suo satisfecit. Sed, instat Carpzouius, ita pars nocens commodum sentit ex suo delicto, si aliæ nuptiæ conceduntur, quod tamen absurditatem inuoluit; verum enim vero cum desertor malitiosus, vel adulter, pœnam facti suo congruentem sustinere necessum habuerit, non video, qua ratione facultas transeundi ad alias nuptias pro commodo ex delicto profluente venditari possit. Vix enim aliquid pro commodo *ex facto profluente* habetur, quoties ipsum factum rigidis pœnis a iudice coerceatur.

## §. XXV.

Pergimus cum Carpzouio ad secundum rationem, quam *d. l. num. 7.* his verbis concepit: *ac quo iure in thorum coniugalem collocabitur, qui ob violationem coniugii exulare deberet, quo remisso, ulterior ei gratia haud facienda, ne duplex venia concedatur duoque concurrant singularia circa unum*

*subiectum, contra sanctionem iuris, l. 1. C. de dotis promiss. l. ff. ex quib. caus. maior. l. 8 §. 3. ff. de legat. prest. Camill. Bore conf 64. n. 12 Frid. Pruckmann vol. 1. conf. 10. num. 60. Dida Covarruu. l. 3. var. resol. c. 19. n. 1. Vincent. Caroc. de loc. tit. de SS. eccles. n. 3.* Hic primo notandum, rationem a latam non esse vniuersalem, cum in omnibus prouinciis locis Germania relegatio adulteris dictari non soleat, v. iuxta ius Lubecense, quo in casu duplicati etiam ad ulte prima vice pœna saltem pecuniaria, secunda autem imp fitio cippi dictatur, v. Meu. *ad ius Lubec. lib. 4. tit. 6. art. & 3.* Deinde erronee supponitur, ac si adultero vel d fertori eo ipso, dum aliæ nuptiæ permittuntur, *gratia fit* quia nos supra probauimus, legislatorem potestatem n bendi eidem auferre non posse, vnde quod necessario iu ta æquitatis rationem concedi *debet*, hoc pro gratia rep tari nequit. Ex quo simul apparet, quod concessio ali rum nuptiarum non sit aliquid *singulare*, & quod proind quamuis in locis, vbi pœna relegationis alias obtinet, remittatur, simulque parti nocenti facultas alias nupti celebrandi concedatur, duo tamen singularia circa vnu subiectum non concurrant.

### §. XXVI.

Pergit vltorius *num. 9. Cumque factò diuortio ex causa adulterii nouas inire nuptias prohibitum sit parti nocenti, (quem finem textus iuris canonici a nobis iam supra § & VI. recensitos allegat,) cur non idem obtineret in diuortio ex causa malitiôsæ desertionis, quippe quæ adulterio equipar tur, Henn ng. Arnisæus de iur. connub. c. 6 sect. 7. Schne dewin ad tit. 1. de nupt. rubr. de diuortio.* Verum cum nos antea ostenderimus, pœnam cœlibatus generaliter sic eo etiam casu, quando diuortium ex causa adulterii factum, iniquitate laborare; hinc quemadmodum antec

de

dens in adlato argumento vacillat, ita quoque consequens, quod ex illo deducitur, vacillet necessum est.

## §. XXVII.

Hæc sunt leuia illa dubia, quæ contra thesin a nobis defensam communiter adduci consueuerunt, quæ si maioris ponderis fuissent, longiorem etiam refutationem postu-  
lassent. Audiamus adhuc duo alia, quæ a canonistis vulgo adduci consueuerunt, eum quidem in finem, vt exinde euincant, quod & pars innocens æque ac nocens ab vltioribus nuptiis abstinere debeat, v. Bellarminus *de matrim. cap. 14.* Primum desumunt ex *1. Corinth. 7. v. 7.* vbi dicit Apostolus, *quod vxor, si se parauerit, aut viro reconciliari, aut cælebs manere debeat;* Sed respondetur, totum contextum ostendere, quod Apostolus non de separatione autoritate iudicis ex causa iure diuino approbata facta, sed de ea, quam vxor ex priuato arbitrio suscepit, loquatur; at vero per eiusmodi priuatam discessionem non tollitur vinculum coniugale, ergo sine dubio etiam vxor, quæ discessit, ad aliud matrimonium prouolare non potest, v. Gerhard. *in loc. de coniug. n. 587.* Beza *in annot. ad d. c. 7. v. 7. Ep. 1. ad Corinth.* Carpzou. *prax. crim. qu. 63. num. 32. seqq.* Schneidewin *ad tit. I. de nupt. rubr. de diuortio n. 44.* Nos vero in præsentem eum casum semper ante oculos habemus, quando diuortium legitimo modo petitur & obtinetur, & sic vinculum coniugale intuitu vtriusque partis, nocentis & innocentis penitus dissoluitur.

## §. XXIX.

*Secundum* argumentum exinde petunt, quoniam Christus *Matth. 19. v. 9. eum mæchari dicit, qui uxorem dimissam duxerit.* Sed inuile est, nisi tota lege perspecta aliqua eius particula proposita iudicare & respondere velle legatur *int. gr. v. 9. qui ita sonat: Dico autem vobis, quicumque*  
C 2 dimi-

*dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit*  
*mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Integro itaque  
 verticulo perlecto non opus est, vt fuse respondeamus, qui  
 libet enim primo statim intuitu aduertit, quod restrictio  
*nisi ob scortationem,* quæ in verbis immediate antecedenti  
 bus habebatur, hic quoque repetenda sit. Et ergo sensus  
 Christi hic est: Quicumque uxorem iuxta morem Iudæo-  
 rum pristinum, (de quo tunc disputabat Saluator) ex qua-  
 cunque causa, excepta fornicatione, dimittit & aliam ducit  
 ille mœchatur, quia dimissio non est licita, & qui di-  
 missam ducit, ille mœchatur, quia talis vxor dimissa vin-  
 culo matrimoniali nondum est soluta. E contrario autem  
 Si quis uxorem propter causam fornicationis dimittit & al-  
 teram ducit, ille non mœchatur, & qui talem mulierem  
 dimissam ducit, ille etiam non mœchatur, quia per forni-  
 cationem vxoris vinculum coniugale dissoluitur & sic di-  
 missio licita est.

### §. XXIX.

Existimamus iam, solidam rationem non superesse, ex  
 qua dispositio iuris canonici sustineri queat. Transeamus  
 ergo ad vsum iudiciorum nostrorum ecclesiasticorum, &  
 videamus, vtrum ille cum iure canonico conueniat. At  
 firmant communiter, vide quæ supra attulimus ex Meui  
 §. IX. adde Cypræum *de iur. Connub. c. 12. num. 3.* aliosque  
 Nobis autem contraria sententia & quod in effectu iudici  
 nostra a dicto iure recedant, meliori iure defendi poss  
 videtur.

### §. XXX.

Graviter quidem obstare ab initio videtur, quod poen  
 cœlibatus communiter adhuc sententiis consistorialibus  
 inferi soleat. Formulam enim pronunciandi talem refer  
 Cypræus *d. l. n. 7.* Hat Claus N. sich mit gedachter Jungfra  
 Elisabeth mit beyderseits Freundschaft Wissen öffentlic  
 verlobt

verlobt, ob Er dann woll vier Tage hernach der Jungfrauen solch Verlöbniß absagen lassen, mit Vorwendung, daß Er ihr also gram worden, daß er sie keines weges zu ehelichen gedächte, und wie ihn die weltliche Obrigkeit derhalben vorbescheiden, ist Er auf solcher Meynung nun fast zwey Jahr verharret, und der Jungfrauen keine Schuld oder etwas unehrliches anmassen können; So mag doch derhalben solch öffentlich Ehe-Gelübdt nicht hinterzogen werden, sondern es wird der Geselle Claus N. durch gebührlche Mittel des Rechts, als Gefängniß und dergleichen, solch Ehe-Gelübdt mit christlichem Kirchgang und ehelichen Beylager zu vollziehen billig compelliret und angewiesen; (*utrum bene, an male, de eo in praesenti non disputamus,*) da Er aber über solchen angewendeten Fleiß dazu nicht zu bringen, oder Er sich derowegen flüchtig machen würde, so würde Er auf vorhergehenden billigen Proceß, als muthwilliger Defertor und Verlasser seiner Vertrauten billig erkandt und derwegen von der weltlichen Obrigkeit in gebührlche Straffe, Verweisung oder dergleichen, genommen, und ihm bey Leben gemeldeter Jungfrauen Elisabeth sich mit einer andern zu verehlichen nicht gestattet: Und auf solchen Fall, da sie, die Jungfrau ohne Gefahr ihres Gewissens ausser dem Ehestande sich nicht enthalten könnte, dazu sie doch mit Fleiß zu vermahnem, so wird ihr, sich mit einem andern in Ehestand zu begeben, billig nachgelassen, B. N. W.

## §. XXXI.

Sed salua nihilominus res est. Magna enim adhuc inter dispositionem iuris canonici & praxin iudiciorum evangelicorum deprehenditur differentia. Textus siquidem iuris canonici, quos supra §. V. & VI. recensuimus, parti nocenti poenam coelibatus indistincte imponunt, nec unquam ei licentiam transeundi ad alias nuptias concedunt;

sed in iudiciis ecclesiasticis dicta cœlibatus pœna cum hac limitatione saltem imponitur, *nisi pars nocens donum continentia non habeat*, v. Schilter. *instit. iur. canon. l. 2. tit. 12. §. 8.*

### §. XXXII.

Si hic in parenthesi nostram sententiam subiungeret licet, illa limitatio nullius plane momenti esse videtur, sed idem est, ac si parti nocenti facultas nouas ineundi nuptias simpliciter permitteretur. Quilibet enim, cui in cœlibatu permanere non placet, hac excusatione uti poterit, si dono continentia destitutum esse. Nec est, ut is, qui tale quid prætendit, ad onus probandi adstringatur, vel iuramentum hoc nomine ipsi imponatur; cum enim theologo pariter & alii in ea sint opinione, & recte quidem, continentiam peculiare donum diuinum esse, & viribus naturalibus illud conciliari non posse, eiusmodi peculiarium autem ad minimum in foro iuridico non præsumantur; hinc sine dubio præsumtio hæc pro eo, qui ad alias nuptias adspirat, militans, ab onere probandi ipsum penitus liberabit.

### §. XXXIII.

Sed reuertamur ad praxin iudiciorum nostrorum ecclesiasticorum, prout stylo communi salutantur. Hac scilicet methodo uti consueuerunt, ut parti nocenti ad nouas nuptias adspiranti illæ quidem concedi soleant, ita tamen ut ex prouincia exeat. Fundamentum processus ex consensu Lutheri iterum petere solent, qui in *lib. de vit. coniug. tom. 2. Jen. Germ. fol. 166.* his verbis utitur: *Fragstu, wo das andere (pars scilicet nocens,) bleiben soll, wenn es vielleicht auch nicht kan Keuschheit halten? Antwort: Darumb hat Gott im Geseze (sed in lege forenti iudæorum saltem) gebothen, die Ehebrecher zu steinigen, daß sie dieser Frage nicht dürfften, also soll auch noch das weltliche Schwert und Obrigkeit die Ehebrecher tödten: Wo aber*

die

die Obriqkeit säumig und nachlässig ist, und nicht tödtet, mag sich der Ehebrecher in einander fern Land machen, und freyen, wo Er sich nicht halten kan, aber es wäre besser, todt mit ihnen, umb böses Exempels willen, &c.

## §. XXXIV.

Modum procedendi paulo distinctius describit Carpz. *iurispr. eccles. l. 2. def. 191. n. 8. seqq.* Tentanda primo, inquit, *reconciliatio est, cuius si spes aliqua superest, nocenti ad alias conuolare nuptias neusquam concedatur.* (Recte, sed tunc diuortium nondum est factum, & sic ille casus huc non pertinet.) *Secundo, pergit, grauiter pars nocens monenda, ut delictum suum agnoscat, laboribus & ieiuniis concubiscentias carnales reprimat, seque indignam iudicet, cui noui matrimonii potestas detur.* (Hoc quoq; monitum fere sine in effectu erit, quamuis enim se indignum nouo matrimonio agnosceret pars nocens, propterea tamen continentiam non statim consequetur.) *Cauendum porro, addit, ne propria autoritate persona nocens ad nouum transeat coniugium, sed consistorii seu magistratus ecclesiastici consensum prius expetat.* (Hoc ad solennia solum pertinet, si enim quis constanter asserat, se donum continentiae non habere, iudex ecclesiasticus consensum denegare non poterit. Dicis; eum inquirere debere, an donum continentiae adsit, annon; respondeo, hæc ad interna pertinere, & per rerum naturam inquisitionem institui non posse, sed assertioni petentis credendum esse.) *Ac si, concludit, omnino conscientia eius in cœlibatu periclitetur, nouum coniugium hac demum conditione concedatur, ut pars nocens sedem fortunarum ac domiciliū mutet, atque eo se conferat, ubi eius turpitudine non innotuit.*

## §. XXXV.

Imo interdum quoque relegatio remittitur, modo pars nocens mulctam luat pecuniariam & nuptie absque pompa celebrantur.



*brentur, Id. cit. loc. in f. Ioh. Gerhard in loc. de coniug. §. 622. Huc spectat rescriptum Electorale Saxonicum apud Carpz. d. l. n. 12. Können Wir . . . geschehen lassen, daß sie gegen Erlegung 50. Rthlr. unsern Kirchen-Kasten allhie mit Christoph S. sich anderweit verheirathen, und die Ehe ohn alles Gepränge, auch an keinen andern Ort als auf ihrem Guthe zu S. vollziehen möge. Und begehren hierin gnädigst, Ihr wollet die Supplicantin darauff bescheiden auch auf den dachten Fall berührte 50. Rthlr. von ihr einbringen und anhero Unser Ober-Consistorium übersenden.*

§. XXXVI. *Fit hoc eo magis, quando certæ circumstantiæ concurrunt, quæ præcedens delictum quodammodo excusant, de qua materia adhuc adscribere lubet verba eiusdem Carpz. lib. 3. def. 71. num. 12. seqq. Facultatem tamen, inquit, quandoq. dari videmus parti etiam nocenti, ut nouum contrahat coniugium ex speciali nimirum magistratus ecclesiastici dispensatione, quæ si iusta & probabili ratione sit fulta, omnino licita habetur: Fieri enim potest, ut quis in minore nitate deliquerit, ad frugem meliorem peruenerit & pœnituerit, aut in cœlibatu salua & illæsa conscientia viuere nequeat. Nunquam non circumstantiis hisce probe pœnitentis licite dispensari quiuis facile concesserit, vel faltem ex perpetuæ veritatis regula Apostolica: Si se non continent, nubant, & satis est, honesto coniugio quem deuinciri, quam scortationibus & adulteriis libere indulgere, Gerhard. d. §. 622.*

§. XXXVII. *Hæc vltima verba adducta si quis probe consideret, non solum deprehendet, ea vix cohærere cum iis, quæ ab eorum autore alias ad defendendam iuris canonici dispensationem adlata & a nobis supra §. XXIV. & XXV. recensita ac refutata fuerunt; sed cognoscet simul, quod pœna cœlibatus ex iure canonico originem suam ducens reuera in iuramentis protestantium non obtineat, quia limitatio: nisi donec continentia non habeat pars nocens, totam regulam prohibitionis penitus euertit. Et hoc est, quod nos demonstrare velle supra §. XIX. promittebamus.*

F I N I S.